

## XXX

Auxilium Fortuna tibi, res perfida, Quinte,  
et tulit in fronte grande supercilium.

haut aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte:  
quanto altus magis es, tam mage despiceris.

*Fulgentius de Virgiliana continentia (p. 100 Helm): exaltatus quis in superbiam duplum eliditur; unde et Porfirius in epigrammate ait: 'auxilium' e. q. s.*

## EPISTULA PORFYRII

Domino Constantino maximo pio invicto  
et venerabili semper Augusto.

Fateor, domine Constantine, maxime, invicte et non minus pietate quam virtute praecipue, quamvis avara atque ultra meritum cupida parvitas meae vota infatigabilis clementiae tuae dignatione superata, quippe cui satis abundeque suffecerat carmen, quod artioribus Musarum ligaveram vinculis, quo plus mihi sinceræ devotionis studium quam ingenii mei parvitas praesti-